

R. Commune Sanctorum continet formulas Missæ pro illis Sanctorum Festis, quæ propriam Missam, aut quasdam partes Missæ proprias non habent. Diversæ in hac parte describuntur Missæ secundum diversas qualitates Sanctorum, qui ibi recensentur eodem quo in Litaniis Omnis Sanctorum ordine.

Pro facilitate et commodiori usu nova ad hanc partem datur paginatio.

Ut clara habeatur hujus partis Missalis notio, sequens sub jungitur Ordo Missarum ex Communis Sanctorum :

I. Pro Vigilia Apostoli, Missa : *Ego autem*. — Non ponitur Missa communis pro Feste Apostoli, quia in Festis Apostolorum et Evangelistarum omnes Missæ describuntur in Proprio Sanctorum.

II. Pro Martyribus : A. Extra tempus Paschale :  
1º pro uno Martyre Pontifice, duæ dantur Missæ, scilicet : *Statuit, et Sacerdotes Dei*.

2º pro uno Martyre non Pontifice, duæ Missæ : *In virtute, et Lætabitur*.

3º pro pluribus Martyribus, tres Missæ : *Intret, Sapientiam, et Salus autem*.

B. Tempore Paschali :  
1º pro uno Martyre, Missa : *Protexisti*.  
2º pro pluribus Martyribus, Missa : *Sancti tui*.

III. Pro Confessore Pontifice, duæ Missæ : *Statuit, et Sacerdotes tui*.

IV. Pro Doctore, sive Pontifice, sive non Pontifice, Missa : *In medio*.

V. Pro Confessore non Pontifice, tres Missæ : *Os justi, Justus ut palma*, et quæ specialis est pro Abbe : *Os justi*.

VI. Pro Virginibus :  
1º pro Virgine et Martyre, duæ Missæ : *Loquebar, et Me exspectaverunt*.

2º pro pluribus Virginibus Martyribus, omnia dicuntur sicut pro una, exceptis Orationibus.

3º pro Virgine, duæ Missæ : *Dilexisti, et Vultum tuum*.

VII. Pro una Martyre non Virgine, Missa : *Me exspectaverunt*.

VIII. Pro nec Virgine nec Martyre, Missa : *Cognovi*.

Communi Sanctorum adjungitur etiam Commune Dedicationis, id est Missa in Anniversario Dedicationis Ecclesiæ, ejusque Octava; describuntur post Missam hanc Orationes speciales dicendæ in ipsa die Dedicationis Ecclesiæ, let in ipsa die Dedicationis Altaris.

Q. 37. Quænam Missæ votivæ reperiuntur in quinta Missalis parte?

R. Missæ Votivæ, seu extra ordinem Officii, quæ dicuntur secundum vota seu desideria tum ipsius Ecclesiæ, tum particularium, in quibusdam necessitatibus vel circumstantiis (cfr. Q. 17), describuntur in quinta Missalis parte numero viginti quinque, quarum duodecim sunt in honorem Mysteriorum aut Sanctorum, et tredecim pro diversis circumstantiis.

Missæ duodecim in honorem Mysteriorum aut Sanctorum sunt sequentes :

- 1º de SS. Trinitate ;
- 2º de Angelis ;
- 3º de SS. Apostolis Petro et Paulo ;
- 4º de Spiritu sancto ;
- 5º de SS. Eucharistiae Sacramento ;
- 6º de S. Cruce ;
- 7º de Passione Domini nostri.

Sequuntur de S. Maria diversæ pro diversis anni temporibus :  
8º ab Adventu usque ad Nativitatem Domini ;  
9º a Nativitate Domini usque ad Purificationem ;  
10º a Purificatione usque ad Pascha ;  
11º a Pascha usque ad Pentecosten ;  
12º a Pentecoste usque ad Adventum.

Missæ tredecim pro diversis rebus sunt sequentes :

- 1º pro eligendo Summo Pontifice, Sede vacante ;
- 2º in anniversario Electionis seu Consecrationis Episcopi ;
- 3º ad tollendum schisma ;
- 4º pro quacumque necessitate ;
- 5º pro remissione peccatorum ;
- 6º ad postulandam gratiam bene moriendi ;
- 7º contra paganos ;
- 8º tempore belli ;
- 9º pro pace ;
- 10º pro vitanda mortalitate vel tempore pestilentiae ;
- 11º pro infirmis ;
- 12º pro peregrinantibus vel iter agentibus ;
- 13º pro sposo et sponsa in benedictione Matrimonii.

Q. 38. Quid notandum est de Orationibus quæ describuntur in sexta Missalis parte?

R. Non raro præter Orationes cuicunque Missæ proprias dicendæ sunt et aliae Orationes, vel ex præscripto Rubricarum, vel præscriptæ seu imperatæ a Summo Pontifice aut ab Episcopo Ordinario; nonnum-

quam etiam ad libitum Sacerdotis celebrantis addi possunt.

De occasione eas dicendi agetur postea, ubi specialiter quæstio est de Orationibus in Missa dicendis.

Plerumque quærendæ sunt hujusmodi Orationes, aut in Missis Votivis de quibus dictum fuit in Quæstione præcedenti, aut, et præsertim, inter Orationes, in hac sexta Missalis parte descriptas. Sunt triginta quinque numero, pro diversis necessitatibus et circumstantiis.

Orationes diversæ in Missali describuntur sequentes :

1. Ad poscenda suffragia Sanctorum prior : *Concede.*
  2. Ad poscenda suffragia Sanctorum altera : *A cunctis.*
  3. Pro omni gradu Ecclesiae.
  4. Pro Papa.
  5. Pro imperatore.
  6. Pro Rege.
  7. Pro Prælatis et Congregationibus eis commissis.
  8. Pro congregatione et familia.
  9. Pro concordia in congregatione servanda.
  10. Contra persecutores Ecclesiae.
  11. Contra persecutores et male agentes.
  12. Pro quacumque necessitate.
  13. Pro quacumque tribulatione.
  14. Tempore famis.
  15. Tempore terræmotus.
  16. Ad petendam pluviam.
  17. Ad postulandam serenitatem.
  18. Ad repellendas tempestates.
  19. Pro peste animalium.
  20. Pro seipso Sacerdote.
  21. Pro petitione lacrimarum.
  22. Pro remissione peccatorum.
  23. Pro publice pœnitentibus.
  24. Pro tentatis et tribulatis.
  25. Ad repellendas malas cogitationes.
  26. Ad postulandam continentiam.
  27. Ad postulandam humilitatem.
  28. Ad postulandam patientiam.
  29. Ad postulandam caritatem.
  30. Pro devotis amicis.
  31. Pro inimicis.
  32. Pro constituto in carcere, vel in captivitate.
  33. Pro navigantibus.
  34. Pro salute vivorum.
  35. Pro vivis et defunctis.
- Juvat animadvertere quacum fiducia et charitate Ecclesia his

multiplicibus Orationibus intendat satisfacere omnigenæ devotioni; auxilium opemque implorare pro quacumque necessitate tum publica, tum privata, tuin ecclesiastica, tum sociali ; pro diversis morbis corporis et animæ remedium et medelam exposcere ; omnium tandem incolumitati et saluti providere.

Q. 39. Quænam continentur in septima Missalis parte pro Defunctis ?

R. A) Quatuor Missæ pro Defunctis :

1<sup>a</sup> in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum ;

2<sup>a</sup> in die obitus seu depositionis Defuncti ;

3<sup>a</sup> in anniversario Defunctorum ;

4<sup>a</sup> in Missis quotidianis Defunctorum.

B) Duodecim Orationes diversæ pro Defunctis :

Scilicet : 1<sup>a</sup> in die depositionis et anniversario Summi Pontificis ;

2<sup>a</sup> pro defuncto Episcopo; cum variationibus pro Sacerdote, et pro S. Romanæ Ecclesiae Cardinalibus ;

3<sup>a</sup> pro defuncto Episcopo alia ;

4<sup>a</sup> pro defuncto Sacerdote; possunt dici pro pluribus in numero plurali ;

5<sup>a</sup> pro uno defuncto ;

6<sup>a</sup> pro una defuncta ;

7<sup>a</sup> pro patre et matre Sacerdotis ;

8<sup>a</sup> pro patre tantum, vel matre tantum Sacerdotis ;

9<sup>a</sup> pro defunctis fratribus, propinquis, et benefactoribus ;

10<sup>a</sup> pro his qui in cœmeterio requiescent ;

11<sup>a</sup> pro pluribus defunctis ;

12<sup>a</sup> alia pro pluribus defunctis.

Hæc Missalis septima pars pro Defunctis solet imprimi, una cum Ordine Missæ et Ritu Absolutionis pro Defunctis, in speciali libro, ad commodiorem Ecclesiarum usum.

Q. 40. Quæ præcipuae Benedictiones inseruntur in octava parte Missalis ?

R. 1<sup>o</sup> Traditur Ordo ad faciendam aquam benedictam, cuius Benedictio sicuti et Aspersio singulis diebus Dominicis fieri debet.

2<sup>o</sup> Sequuntur quædam variarum rerum Benedictiones, quæ in Rituali Romano etiam descriptæ sunt; et quarum quædam ab omni Sacerdote, citra præjudicium jurium Parochialium, necnon quandcumque

fieri possunt, quædam autem tantum ab Episcopis vel aliis facultatem habentibus.

Sequentes in Missali descriptæ Benedictiones ab omni Sacerdote fieri possunt :

Agni in Pascha ; — ovorum ; — panis ; — alia panis ; — novorum fructuum ; — ad quodcumque comestibile ; — canicularum (extra diem Purificationis B. Mariae V.) ; — loci (extra diem Sabbati sancti) ; — domus novæ ; — thalami ; — novæ navis.

Sequentes fieri possunt tantum ab Episcopis, vel aliis facultatem habentibus :

Benedictio Sacerdotalium Indumentorum ; — mapparum et tobalearum, seu linteaminum Altaris ; — corporalium ; — Tabernaculi seu vasculi pro sacrosancta Eucharistia conservanda.

Quare istæ determinatæ Benedictiones in Missali Romano fuerint insertæ, non ita patet ; nam multæ præter eas dantur in Rituali Romano, quarum quasdam frequentius quidem fieri contingit. Ratio forsitan est quod, quo tempore in Missali fuerunt descriptæ, Rituale Romanum nondum cuicunque suppeteret solebat. Ita innuere videtur Gavantus (Pars IV, Tit. XIX, n. 1).

3º In calce hujus Missalis partis additæ fuerunt Orationes dicendæ in Consecratione Episcopi, et in Collatione Sacrorum Ordinum, excerptæ e Pontificali Romano, et hic in Missali positæ unice ad majorem commoditatem Episcoporum.

Q. 41. Quænam sunt Missæ Votivæ quæ describuntur in nona Missalis parte ?

R. Sunt Missæ inscriptæ Votivæ per annum ; illæ scilicet quæ conformes sunt Officiis Votivis, quæ pro singulis hebdomadæ diebus liberis concessa fuerunt juxta Apostolicum Indultum, per Decretum S. Rituum Congregationis, diei 5 Julii 1883 (n. 3581, antiq. 5879). (Cfr. Tractatus de Officio divino, QQ. 149-154.)

Dicuntur Votivæ, etiamsi, si Votivam intelligas Missam quæ Officio non est conformis (Q. 17), stricte loquendo tales non sint ; sed, quia Officia quibus correspondent nominata fuerunt Votiva, talia nempe quæ de alio objecto dicuntur quam quod proprie requirunt dies in quibus dicuntur, ipsæ Missæ etiam dictæ fuerunt Votivæ per annum, seu Votivæ ex Indulto per hebdomadam.

Sex numero sunt pro Feriis infra hebdomadam assignatæ :

Pro Feria II de Sanctis Angelis.

Pro Feria III de Sanctis Apostolis.

Pro Feria IV de S. Joseph, Sponso B. M. V., Confessore.

Pro Feria V de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

Pro Feria VI de Passione D. N. Jesu Christi.

Pro Sabbatho de Immaculata Concepcione B. Mariæ V.

Q. 42. Quænam Missæ reperiuntur in Appendix Missalis ?

R. Missæ Festorum quæ non pro universalis Ecclesia præscribuntur, neque in Kalendario Missalis reperiuntur, aut saltem non eodem ritu quam in universalis Ecclesia celebrantur, sed quæ pro specialibus locis concessa sunt, nempe regionibus, provinciis, diœcesibus, aut etiam Regularium Familiis.

Hujusmodi Missæ aliquando omnes suas partes proprias habent, aliquando pro quibusdam e Communis Sanctorum desumuntur.

Prior series inscribitur : **Missæ Sanctorum Summorum Pontificum S. Romanae Ecclesiæ, et aliorum Sanctorum aliquibus in locis celebrandæ.**

Sancti Summi Pontifices non omnes habent Officium et Missam per universalem Ecclesiam præscripta, sed quorumdam Festa in aliquibus locis tantum celebrantur, ex gr., Romæ omnium, in aliis locis aliquorum.

In hac serie reperiuntur etiam Missæ quorumdam Festorum Domini et Sanctorum, quæ in nostra patria celebrantur ex speciali concessione, ex gr., Missæ de Instrumentis Passionis Domini ; necnon Missæ Festorum quæ concessa fuerunt quo tempore nostra patria subjecta erat ditionibus vel Hispanicæ vel Austriacæ ; ex gr., Exspectationis partus B. Mariæ V., 18 Decembris ; Desponsationis B. Mariæ V. cum Sancto Joseph, 23 Januarii ; S. Gabrielis Archangeli, 18 Martii ; S. Joannis Nepomuceni, Martyris, 16 Maii ; S. Rosaliæ, Virginis Panormitanæ, 4 Septembris ; S. Ludovici Bertrandi, Confessoris, 10 Octobris ; S. Raphaelis Archangeli, 24 Octobris ; etc.

Altera series inscribitur : **Appendix Missarum pro-**

30 (Q. 43, 44) Appendix Missalis

priarum, aliquibus Diœcesibus aut Religiosis Familiis concessarum.

Pro usu hujusmodi Missarum requiritur semper Indultum Apostolicum, et qui tali Indulto non gaudent, proprias Missas dicere non possunt.

Pro Festis hujusmodi quæ præscribuntur in nostra Dicecesi celebranda, in Directorio seu Kalendario additur, die qua celebrantur, nota : In Appendix Breviarii, quæ indicat Officium in Breviario et Missam in Missali esse querenda in hac Appendix.

Hujusmodi Appendix primum reperitur addita Missali saeculo XVI, in editionibus Typographiae Plantinianæ Antverpiæ et inscribitur cum nota : *Typographus lectori*, in qua dicit additæ fuisse Missas istas post Missale ut plurimorum votis satisfiat. A medio saeculi XIX præsertim a Typographis auctus fuit numerus hujusmodi Missarum specialium.

Q. 43. Quænam particularia reperiuntur addita in ultimis editionibus Missalis Romani ?

R. 1º Præfatio de Nativitate Domini, in tono feriali, dicenda in Missis Votivis de SS. Sacramento et de SS. Nomine Jesu. Cum enim haec Præfatio in Ordine Missæ sollempni in tono solemni describatur, S. Rituum Congregatio, ad commoditatem Sacerdotis Missas Votivas supradictas cantatur, indulxit ut ipsa Præfatio cum suo cantu feriali apponi possit, non quidem in ipso Ordine Missæ, sed « ad calcem Missalis et ultimo prorsus loco ».

2º Orationes diversæ quæ in Missa Præsanctificatorum Feriæ VI in Parasceve, ante detectionem Crucis cantantur. In Missali in Officio hujus diei prima tantum Invitatio ad Orationem reperitur descripta cum notis cantus, pro sequentibus vero notæ non appositæ sunt. Ad majorem celebrantium commoditatem describuntur omnes Invitationes cum cantu : attamen, non in corpore Missalis adduntur, sed tantum ad ejus calcem.

Q. 44. Quænam Missæ ultimo prorsus loco apponi possunt in Missali ?

R. Missæ Festorum quæ in unaquaque Diœcesi ex Indulto Sedis Apostolicæ celebrantur, et plerumque pro Diœcesi tantum, aliquando etiam pro pluribus, aliquando quidem pro tota Provincia concessa fuerunt ;

Rubricæ Missalis Romani (Q. 45) 31

quæ Festa nomen habent : *Festa propria Diœcesis, Festa Diœcesana*.

Hujusmodi Missarum series, separatim excusa, debet muniri speciali impressionis permissione, necnon testimonio concordantie cum originalibus, ab Ordinario loci impressionis datis.

Inscribitur pro nostra Dicecesi : *Missæ propriæ Sanctorum Ecclesiae Metropolitanæ, Civitatis et Archidiœcesis Mechliniensis*.

Impressa reperitur etiam series ex diversis Propriis Diœcesium totius Belgicæ Provinciæ in unum collecta, sub titulo : *Missæ propriæ Sanctorum Belgii*.

Missam Festi alicujus in hoc Supplemento esse querendam, indicat Directorii seu Kalendarii nota : *Officium Diœcesanum*, apposita nomini Sancti cuius Festum celebratur.

§ 3. De Rubricis Missalis Romani

Q. 45. Quomodo præcipue distinguuntur Rubricæ Missalis ?

R. Rubricæ, seu leges præscriptæ pro celebratione Missæ, et aliis sacris functionibus quæ ad Missam referuntur, ita vocatæ, quia rubro colore in titulis et capitibus solent describi (cfr. Tractatus de Officio divino, Q. 3), distinguuntur :

I. In generales, et particulares.

Generales complectuntur eas regulas, quæ generaliter omnibus Missis per annum possunt dici communes, et determinant preces, locum, horam, ritum, induimenta, actiones ac partes Sacrificii, necnon defectus qui in eo occurrere possunt.

Descriptæ sunt in Introductionis Missalis partibus tertia, quarta et quinta, quæ titulos habent : « Rubricæ generales Missalis ; — Ritus servandus in celebratione Missæ ; — De defectibus in celebratione Missarum occurrentibus ». (Cfr. Q. 31.) In præsenti Tractatu exponitur præsertim pars quæ inscribitur « Rubricæ generales Missalis », in quantum agit de precibus in Missa dicendis ; reliquæ partes exponuntur in Tractatu de celebratione Missæ.

Particulares seu propriæ, quæ sparsæ habentur in